

## **[6] Epistola domine Iacobe scripta [EpJac]**

[«Cum autem pervenisset ad S. Mariam et depositus esset in infirmaria, vocavit unum de sociis et dixit illi: “Carissime, Dominus revelavit michi quod in ista infirmitate usque ad talem diem moriar; et scis quod domina Iacoba de Septemsoliis, devota Ordinis nostri carissima, si mortem meam sciret et non interesset, valde inconsolabiliter tristaretur. Ne ergo turbetur, significemus sibi quod, si vult me videre vivum, statim Assisium veniat”. Respondit ille: “Bene dicis, pater; quia, propter magnam devotionem quam ad te habet, esset valde inconveniens quod ipsa non esset in morte tua”. Dixit ergo b. Franciscus: “Porta michi cartam et pennam, et scribe sibi sicut ego dicam tibi”. Et ille incepit scribere:]

1 Domine Iacobe, serve Altissimi, fr. Franciscus, pauperculus Christi, salutem et societatem Spiritus sancti in Domino Ihesu Cristo. 2 Scias, carissima, quod michi Cristus benedictus per suam gratiam vite mee terminum futurum in proximo revelavit. 3 Quapropter si vis invenire me vivum, visis litteris, ad S. Mariam de Angelis venire festina. 4 Nam si usque ad talem diem non veneris, me vivum invenire non poteris. 5 Et porta tecum pannum cilicinum in quo corpus meum involvas, et ceram pro sepultura. 6 Rogo etiam quod portes michi de illis comestibilibus que michi consuevisti dare quando infirmabar Rome”.

[Dum vero hec scriberentur, ostensum est in Spiritu sancto s. Francisco, quod domina Iacoba veniebat ad eum et secum ducens omnia predicta portabat. Unde statim dixit scribenti: “Non scribas amplius, quia non oportet, et litteram ipsam reponas”. Et mirati sunt universi quare litteram non permittebat compleri. Et ecce, facto modici temporis intervallo, domina Iacoba sonavit ad portam; ad quam cum ivisset portarius, invenit dictam dominam Iacobam, nobilissimam romanam, cum duobus filiis senatoribus et militum maxima comitiva, que veniebat ad s. Franciscum. Et portabat secum omnia illa que s. Franciscus scribebat in littera».

*(Actus beatus Francisci et sociorum eius XVIII, 14-23; Fontes Franciscani, 2124-5).*